



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Defensio Abbatiae Imperialis S. Maximini

Zyllesius, Nicolaus

Treveris, 1638

20. Henrici II. siue Sancti Imp. Dat. in Triburia, Anno MXXIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14268

concessa vel attributa, ob interuentum dilectissimæ Coniugis nostræ Cunigundis videlicet Reginæ, nostrâ autoritate roborare decreuimus. Et vt Antecessorum nostrorum beneuola pietas non à nobis neglecta debilitetur, & Monachorum inibi Deo seruientium tranquillitas ab aliqua subintroducenda persona nõ inquietetur. Ea siquidem ratione, vt idem Cœnobium, vbi prænotatus Sanctus Pontifex requiescit, cui Venerandus Abbas Ofterius nunc præesse videtur, sicut sub Antecessorum nostrorum, sic sub nostro quoque lure, Mundiburdio & defensione consistat, nec alicui Sedi aut Ecclesiæ (excepto nostræ Regali potestati) successorumque nostrorum famulum aut appendix, vel beneficiarium subiaceat. Concedimus etiam eis liberum arbitrium inter se eligendi Abbatem tali honore dignum, & ad id officium idoneum, vt eo securius ab eis impleatur diuinum ministerium, summæque propensius Maiestatis pro nobis implerent auxilium: Insuper etiam concedimus, vt idem Abbas, sibi que commissa congregatio, eorumque successores potestatem habeant Aduocatas Monasterij sui, cui velint dandi, cuique velint, tollendi. Et vt nulla cuiuslibet iudiciariæ dignitatis persona in Curtibus eorum placitum habere præsumat. Teloneum à nauibus eorum nullus exigat, familiaque bannum & fredas nulli nisi Abbati persoluat, nulliusque nisi vel ab eo constitutorum placitum attendat. Et in singulis Ciuitatibus Regalibus, vel præfectorijs liberam potestatem habeant intrandi & exeundi, vendendi & emendi, pascendi & adaquandi. Eique opera Regalia & Comititalia funditus perdonamus. Et vt hoc autoritatis nostræ præceptum firmum & stabile permaneat, manu propria corroborantes sigilli nostri impressione insigniri iussimus.

Signum Domini Henrici Regis inuictissimi. Egelbertus Cancellarius vice Willigisi Archicapellani recognoui. Data V. Idus Aprilis Anno Dominicæ Incarnationis M V. Indictione II. Anno vero Domini Henrici Secundi Regis III. Actum Aquisgrani in Dei nomine feliciter. Amen.

20.

*Henrici II. sue Sancti Imperatoris Datum in Triburia
Anno MXXIII.*

IN nomine Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Henricus diuinâ fauente clementiâ Romanorum Imperator Augustus. Quamuis ab Ecclesiasticis institutionibus, & à paternis præiudicijs nulli sit licitum deuiare, nostri tamen Iuris est præ cæteris id solum & speciale, vt vnde fideles nostri infra Regnum nostrum grâuantur, aut vnde Ecclesiæ Dei detrimentum maius, quam commodum patiuntur, in melius debeamus commutare: Idcirco fidelium nostrorum


Dd 3

tam

tam præsentium quam futurorum solertiꝝ notum fieri cupimus, qualiter nos
 ex Abbacia S. Iohannis Euangelistæ & S. Maximini, quæ in suburbio Treuirorum
 sita est, ubi Haricho Abbas præesse videtur, quasdã Curtes & territoria, Villas &
 possessiones, scilicet sex millia, sexcentos, quinquaginta sex mansos, vt verius
 computari potuit, à præfato Abbate in beneficium accepimus, & his fidelibus
 nostris, Ezzoni videlicet Palatino Comiti, & Henrico Duci, nec non Ot-
 toni Comiti ea conditione beneficiauimus, vt quia præfatus Abbas iam se-
 nio confectus, commodè nobis domi, militiaꝝque seruire non poterat, ipsi &
 hæredes, qui hæc beneficia habent, pro eodem Abbate suisque successori-
 bus curiam regalem petant, & in expeditionem eant: Abbas vero suisque Suc-
 cessores à curia Regia, & ab omni expeditione omnino sint liberi, nisi in Mo-
 guntinensem siue Merensem aut Colonensem Ciuitatem, ad generale Con-
 siliium siue colloquium aliqua necessitate cogente, fuerint inuitati, & ne ani-
 mæ nostræ inde detrimentum patiamur, si ea, quæ à fidelibus Christi eidem
 sacratissimo loco tradita sunt, aut collata, nos iniustè videamur auferre, ser-
 uitium quod nobis, & quibusdam prædecessoribus nostris, in secundo sem-
 per anno de eadem Abbacia traditum est, pro timore DEI & veneratione
 Sancti Iohannis, & Sancti Maximini, & ob interuentum Aribonis Mogun-
 ciacensis, & Piligrimi Colonensis, & Popponis Treuirensis venerabilium
 Archiepiscoporum, aliorumque fidelium nostrorum, Deo Sanctoque Ioa-
 ni & Beato Maximino, cunctisque post eos inibi Abbatibus in perpetuum
 indulgendo ignouimus, & ignoscendo indulimus. Et ne quis Successorum
 nostrorum, Regum vel Imperatorum, idem seruitium in periculum animæ
 nostræ ac suæ inde vterius exigat, nisi eadem bona, quæ nos non tam in no-
 strum, quam in eorum seruitium inde distraximus, & ex integro reddat, aut
 restituat, nostra Imperiali autoritate constituendo præcipimus, & præci-
 piendo confirmamus. Iubemus etiam, atque interdiciamus præfato Abba-
 ti, suisque Successoribus in perpetuum, ne de reliquis Curtibus, Ecclesijs ac
 possessionibus, quæ ad peculiarem præbendam fratrum, Deo ibi famulantium,
 à nostris prædecessoribus Regibus, aut Imperatoribus, Dagoberto videlicet,
 Pippino, Carolo, Ludouico, Arnolpho, Item Carolo, Viendiboldo, nec non
 à tribus Ottonibus in nostra vsque tempora, & per nos etiam delegata sunt &
 concessa, alicui de maioribus, siue liberis hominibus, aut alterius Ecclesie
 vel alienæ familiæ quibuslibet seruatoribus, quidquam beneficiare vel ab eo-
 rum iure quoquo modo abalienare præsumant. hoc est in his locis, Suabheim,
 Hefinesheim, Bricinheim, Eueresheim, Weldinsein, Albucha, Cozoluef-
 heim, Bingin, Holtzhufa, Apula, Alfontia, Sceringesfelt, Hukinesheim,
 Bukinheim, Siemera, Manneldal, Narheim, Folemareshack, pro Luesder-
 uoth, Gracho, Decima, Vallis cum suis pertinentibus, Ratheresdorff, Bi-
 cendorff, Meisbrath, Ebano, Arnolfesberg, Lieznich, Okisheim, Riuen-
 cha, Loauia, Windingis, Lukesingis, & in pago Sallingouue, Dinriche,
 Luolkurt, Bisfangis, & in Ciuitate Metensi, & circum circa, domos, vineas,
 agros & Arcolas, & in his locis Diedenhouen, Wilare, Bessiac, Lucelen-
 kiricha, Fauena, Druhdelinga, Murmiringa, Meroldiuilla, Wimereskir-
 cha, Straza, Crufta, Seranna, Marchidith, Krisho, Billich, Curmiringen,
 Brunnacha, Haniuilleri: insuper etiam in pago Drachere locus, qui vocatur
 Guntereshusen, nec non in pago Einriche, locus alius, vocabulo Prichina, cum
 omnibus ad se iuste & legaliter pertinentibus, vel aspicientibus rebus. Has
 duas Curtes ad Sagimen & ad femoralia, mantelas, etiam & mensalia fra-

trum, nec non ad infirmorum curam, & debilium, & ad susceptionem hospiti-
 tum, nec non ad recreationem pauperum & peregrinorum, sicut Anteces-
 sores nostri constituerunt, ita & nos specialiter constituimus, atque firma-
 uimus, & ut ex his locis & Ecclesijs nullus Abbas, nulla alia persona, ma-
 gna siue parua, alicui libero, aut alieno homini, ut antea diximus, aliquid
 beneficiare, vel à præbenda fratrum quoquomodo abalienare præsumat, fir-
 missimè præcepimus, sed liceat inde Abbati, suisque Successoribus lumina-
 ria Ecclesiæ restaurare, ædificia recuperare, & quæ necessaria tantummodo
 fratribus sunt, procurare. De Ecclesijs vero & de omnibus per rotam Abba-
 tiam salicis decimationibus, nulli omnino beneficium aliquod concedi per-
 mittimus, sed in usus hospiti-um, pauperum ac peregrinorum, perpetualiter
 constituimus atque sancimus. Constituimus præterea hoc, & hac nostra Im-
 periali auctoritate firmamus, ut si quis fortasse illorum, aut filij filiorum suo-
 rum, quibus bona & possessiones Sancti Maximi beneficiamus, sine hære-
 de fuerit defunctus, beneficium, vel quidquid ab eodem loco habere visus
 est, sub ius & Dominium præfatorum Sanctorum & Abbatis ac fratrum ipsius
 Monasterij redeat & transeat, & ad amplificandam congregationem, nec non
 ad regale seruitium quantum Abbas inde sine detrimento aliarum rerum Ec-
 clesiæ bene perficere possit, absque omni contradictione permaneat. Insuper
 etiam concedimus atque præcipimus, ut idem Abbas, suique Successores,
 potestatem habeant, Aduocatas omnes Monasterij sui, cui velint dandi, cui
 velint iusto iudicio tollendi, & ut Aduocati nullum post se ponere audeant,
 qui vocetur proaduocatus, nullumque placitum præter tria iure debita in
 Abbatia tenere præsumant, nec cuiquam illorum liceat, aliqua violentia ho-
 mines grauare, aut vi parueros eorum aut pecora tollere, vel quicumque
 super Officiales aut ministros, siue mansionarios, seu omnia iura Abbatis con-
 stituere. Et ut hoc nostræ auctoritatis præceptum inde conscriptum firmum
 & stabile semper permaneat, non solum hoc manu propriâ firmauimus, & si-
 gilli nostri impressione muniti iussimus, verum etiam ut firmiori auctoritate
 polleret, Beatissimi Patris nostri, Domini videlicet Benedicti Sedis Apostoli-
 cæ Præfulis, Priuilegium inde conscriptum, & Apostolicâ auctoritate robo-
 ratum, præfato Cœnobio obtinere meruimus, ut si, quod absit, aliquis Suc-
 cessorum nostrorum Regum vel Imperatorum diabolica auiditate corruptus
 quicumque de his, quæ præfati sæpè Monasterij fratribus ad quietem illorum
 constituimus, imminuere tentauerit, Abbas, qui tunc ibi præesse videbitur,
 ac fratres liberè Apostolicam Sedem, cui idem locus sacratissimus sub
 antiquis temporibus Constantini Imperatoris & Helenæ matris illius addi-
 ctus esse dignoscitur, fiducialiter appellent, & ad eam quasi filij ad matrem
 confugiant, ut ab ea sicuti dignum est fulciti, aut ea quæ inde abstulimus bo-
 na sua recipiant, aut quod nos pro tantis bonis & possessionibus Sancti Io-
 hannis & Sancti Maximi inde Abbatum ad quietudinem illorum ordina-
 uimus atque firmauimus Apostolica auctoritate roborati obtinere præua-
 leant.

SIGNVM DOMINI HENRICI
 Romanorum inuictissimi Imperatoris Augusti.



Guntherus Cancellarius, vice Aribonis, Archicapellani recognoui. Data quarta Idus Decembris, Indictione sexta, Anno Dominice Incarnationis MXXIII. Anno vero Domini Secundi Henrici regnantis, vigesimo tertio, Imperij autem Decimo. Actum in Triburia, regia villa, Palatio publico, in Dei nomine. Amen Amen.



21.

Conradi Imperatoris Datum Treuiris, Anno MXXVI.

IN nomine Sancte & indiuidue Trinitatis. Conradus diuinam ordinante Clementiam Rex. Si rationabilibus fidelium nostrorum petitionibus, quas pro utilitatibus Ecclesiarum Dei nostre Regali Excellentie suggerunt assensum prebuimus, id nobis ad eterne vite premium promerendum sine dubio profuturum esse liquidò nouimus, unde nouerit omnium fidelium nostrorum

tam